



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quòd cuidam auaro sepulchri dimensionem descripserit, ad eius summum  
pudorem. Cap. XXX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

EUSEBII DE VITA

Familiares vero nonnullos suos oratione quasi verberans & flagellans cogebat aliquando sua ipsorum conscientia percussos, humi oculos deflectere: cum eis clara voce contestaretur & predicaret, actionum suarum omnium rationem Deo daturus esse. Nam & se terrenum quoduis imperium illius, Dei imperio subijcere: eiq; rationes singularum rerum redditurum esse. Cunctos enim mortales magno regi aliquando rationem suae vitae relatuos. Hæc ille perpetuo contestabatur, hæc suggerebat, horum magister & author fuit. Sed is quidem veram & minime simulatam fidem peculiari quodam modo retinens hæc sentiebat, hæc præcipiebat: at illi ad hæc percipienda tardi, & ad præclara ista præcepta obsurdescentes: voce & acclamatione applaudebant: sed inexplebili cupiditate occæcati reipsa contemnebant. Fertur præterea cuidam ex suis ab se aliquando præhensio, dixisse: quousq; tandem o bone hanc inexplebilem auaritiam cumulamus.

*Quod cuidam auaro sepulchri dimensionem descripsit, ad eius summum pudorem.*

CAP. XXX.

**D**Einde cum corporis humani perfectæ ætatis circumscripta mensuram hasta, quam manu tenebat, humi impressisset, Omnes, inquit, vitæ diuitias, & totius orbis opes si domi haberes: tamen plus hoc à me circumscripto agello non possidebis: si & illud forte possideris. Huiusmodi dictorum & factorum modum sibi nullum statuebat beatus Imperator. Resque ipsæ persuadebant imperatoris hæc quasi diuinitus edita præcepta non nudis verbis, sed diuinis oraculis similia esse.

*Quod propter eius eximiam humanitatem irrisus sit.* CAP. XXXI.

**S**ED cum imperator se totum ad humanitatem & misericordiam dedisset: & qui singulis prouinciis præerant, nullum prorsus de maleficis supplicium fumerent, res hæc vniuersæ administrationi, nõ minimam reprehensionem peperit. Quæ siue iusta fuerit, siue secus: iudicet quisq; pro sua voluntate: mihi liceat, quæ vera sunt, monumētis mādare.

*De Cons.*